hodie mecum eris in paradiso. Si enim tunc fuit in paradiso, quomodo
apud inferos? Sed potest apud inferos consistendo potuit esse in paradiso. non lo
co qui dicitur paradisus sed in requie. Nam sicut sol radiat in immundis locis, tamen
est mundus, sic anima Christi et latronis penitentis ad inferos descendit ille
sa. Qui autem passus est, tertia die resurrexit a mortuis. Sed videtur auctori
tas obclamare quia ait anathema sit qui dicit Christum denuo hominem assumpsisse.
Unde quidam occasionem sumentes aiunt quod Christus non desierit homo esse. Sed et post mortem
in illo triduo ut aiunt fuit homo non vivens sed mortuus. Sed attende quod ad
hoc quod perfecte sit homo, sufficit infusio anime humane in corpus humanum. Ergo sicut
compositione anime ad corpus perfecte sit homo, sic separatione anime a carne desinit esse homo.
Ad hoc autem ut verbum sit homo duo concurrunt. infusio anime humane in corpus hu
manum et verbi unio ad utrumque tam corpus quam animam. Nam si anima esset corpori in
fusa, nec verbum esset eis unitum, nec verbum esset homo, sed homo constaret ex anima et cor
pore. Item si verbum esset unitum utrique nature, nec anima esset infusa corpori,
sed esset in celis corpus vel in terris, verbum non esset homo. nec aliquis homo constaret ex il
la anima et illo corpore. Unde constat ad verbi incarnationem hec duo concurrere:
verbi ad utrumque unionem et anime in corpus infusionem. Sed ad hoc ut non sit homo non
oportet concurrere privationem utriusque unionis verbi et infusionis anime. Sed suf
ficit alterutra ad hoc ut verbum non sit homo. pauciora enim sufficiunt ad
perimendum quam ad construendum. Unde ars. Facilius est destruere quam construere. Sed
in illo triduo anima erat separata a corpore licet verbum a neutro esset sepa
ratum. Ergo verbum tunc non erat homo. sed resurgendo iterum cepit esse homo. non tamen de
nuo assumpsit hominem id est humanam naturam scilicet corpus et animam. Ex quo enim
verbum carnem et animam assumpsit, neutrum a se deposuit. licet animam et carnem
separaverit. Licet ergo soluta sit anime et corporis coniunctio, tamen soluta non est ver
bi ad utrumque unio. Unde credimus Christum denuo fuisse hominem, et non denuo
assumpsisse hominem. Fuit autem primitie resurgentium, quod non Lazarus prius. tamen
resurrexit moriturus. sed non Christus. Item prius resurrexisse videntur illi de quibus in
evangelio legitur. Statim cum dominus expirasset, velum templi scissum est a summo
usque deorsum et lapides scissi sunt et multa corpora sanctorum qui dormierant re
surrexerunt. Sed est anticipatio. tertia enim die resurrexerunt cum domino. Resur
rexit ergo dominus et post resurrectionem

Ascendit ad celos sedet ad dexteram

Ascendit ad celos. corpo
ralis enim videntibus discipu
lis elevatus est in celum nubi

BIBLIOTHEQUE ... MAN.